Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

festinantes ut emerent sunt processerunt. Quod naute renuentes atque negantes nullomodo se daturos dixerunt, quia in partibus constantini quod detulerant frumentum esse testati sunt. Tunc omnes qui venerant ut emerent contristati sunt, et simul acquieverunt. Sed beatus Nycolaus excitus clamore ipsorum, concitus accessit ad naves, et ait nautis: Ecce fratres videtis inopiam ipsius, fame eos cruciari. Nolite ergo obsecro verba mea postponere, sed facite que moneo et dico. Centum quidem modios absque precio mihi prebete, ut esurientem populum refocillare possim et non moriatur; et ego in nomine domini mei Ihesu Christi spondeo atque promitto, quia remensurantes minus non invenietis, et cum congruo et tranquillo vento reversuri gaudentes totum salvum invenietis. Audientes autem illi de nomine sancti Nycolai dei nutu voluntati eius obedierunt, centumque mensurantes modios sancto viro dederunt. Quos ille gratis accipiens, ipsos gratis dedit. Accipiens vero plures dies refocillata est non minima multitudo. Naute vero perceptis benedictionibus a sanctissimo viro gaudentes et exultantes cum frumento reversi sunt. Quod per ordinem requirentes atque mensurantes, nec unum modium minus invenerunt. Laudem vero et gloriam deo dederunt, penitentes quod multo plus tritici quam sanctus petisset non tribuissent.

De oleo dyane quod fluctus maris incendit

In terra ex longinquo venerunt naute ad salutandum benedictionemque percipiendum sancti Nycolai, quique grato se suscepti sunt ab eo. Suppliciter vero ei se commendantes, primum quidem sua que detulerant munuscula ferre studuerunt, post vero obtulerunt oleum in sigillata ampulla vitrea, quod ei speciosa quedam mulier dederat, obscitatem scilicet illi multum obsecrasse et commendasse se sancto viro ut oleo illo ecclesie parietes perungeret et illuminatam ecclesiam ex eo haberet. Quod subito voluntate boni dei agnoscens sanctus vir, ampullamque manu tenens ait: Cavete fratres, cavete, ne ista malicia prope navium contingat. Ite ergo nunc et in mare eam proicite longius percutientes, et mox videbitis diabolico atque deterrimo igne aquam ardere, quod procerto contingeret si ecclesiam perungerem. Verum scitote diane hoc maleficium esse. Cum adultam mulierem speciosam reversi fueritis a demonio vexari temptatricem invenietis, et implebitur in ea quod scriptum est: convertetur dolor eius in caput eius. Illi vero abeuntes sicut predixerat sanctus repererunt, percutientesque in mare ampullam, igne copioso oleum illud aquam incendit. Unde naute territi nimisque mirantes, cum ad propria reversi fuissent, iam a demonio agitari maleficam mulierem invenerunt. Et professi sunt et omnibus indicarunt quomodo

gubernatorem ducem atque rectorem haberent illorum naves beatum Nicolaum die integra et nocte tota. Simulque illis videntibus eis advenerant procelle et tempestates, et nisi adiutor eis sanctus vir processisset, periclitati in mari sine dubio essent. Vota simul reddunt et deo gratias agunt.

Ubi quendam febricitantem sanavit

Cum sederet beatus Nycolaus ante ecclesiam in deuarnensis castello populum admonens ac docens, quidam homo febre oppressus pedibus eius advolvi cepit, et confitebatur clamans et dicens: Miserere mei sancte dei, et noli contra incredulitatem meam agere, ut ne peream in conturbationibus quas multum patior malis. Audivi sancte pater dicentibus de tua mirabili multis hominibus sanctitate, et pro meis peccatis non credebam eis dicens: non credam homini super terram. Terribiliter quidem nocte una sic sterquilinium flumen visum est mihi, subitoque cecidi in illud nimis fetidum. In abditum te autem quidam ex parte perspexi, et mihi in auxilium excelsa voce clamavi. Statimque ex alto manum porrexisti, et a spurcicia qua retentus eram abstraxisti me. Ergo tibi supplicans rogo, ut sicut in somnis liberasti me, ita ab hac passione quam ab illa hora passus sum sana et adiuva me. Sanctus autem domini dicit ei: Fili, esto mihi credulus semper et fidelis. Increduli enim homines et infideles in iudicium tale inciderunt. Vade et sicut a squalore spurcicie tue liberavit te dominus, ita et ab infirmitate tua esto liberatus et sanus. Mox vero recessit sano corpore homo ille credens, laudans et glorificans dominum et sanctum virum Nicolaum. Ubi sanctus Nycolaus oravit et dyabolus per scalam ad eum ascendit.

Quadam vero nocte orante sancto Nikolao simul cum Artheman presbytero atque psallente, ecce inmundus spiritus circa mediam noctem per scalas ascendere visus est quasi homo ambobus a lucerna videntibus. Artheman vero pavescente ac timente, fiducialiter ad eum Nycolaus ait: Noli timere frater, quia inimicus noster diabolus est quem vides, et non est homo. Consuetudo enim illi est multo in servos dei illudere semper. Tunc increpavit eum ut abscederet. Et signum sancte crucis simul faciente eo, ipsa hora et scala et ascensor fantasticus ab eorum facie dissiluit atque disparuit.

Ubi uno pane lxxx viros refecit

Fratres karissimi, vobis volo adhuc et aliud miraculum ad edificationem animarum vestrarum enarrare, quod quadam die ad operandum in oratorio artifices venerunt. Quo cum introiret beatus Nycolaus, ad suum cellerarium dixit: Ecce deo gratias fratres ad operandum